

tacet, consensio videtur, non procedat, quando agitur de praejudicio vel obligatione tacentis, juxta dicta supra n. 43. Tum quia, cum parentes tam ex officio, quam naturali affectu liberis optima velle, nec in ipsorum praerudicium vel incommodum, sed potius in utilitatem eorumdem agere debeant, & praesentantur L. nec in ea. 22. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult. ibi: Plerumque pietas paterni Nominis consilium pro libero capu; liberi autem saltem ex honestate in tali casu vel consentire, vel illico contradicere teneantur, arg. cau. Honorantur 13. caus. 32. q. 2. merito Jura praesunt, liberos praesentes & tacentes consentire, si eorum nomine parentes contrahant: quae ratio cum aperte cesset in Tutoribus ac aliis, utpote liberos non suos nec a longe ita amantibus, ad eos Juris dispositio extendi non debet.

63 Ceterum nomine parentum non tantum pater, sed etiam mater venit, ut haec quoque loco prolis praesentis & tacentis valide contrahat Sponsalia. Sanchez loc. cit. n. 9. Pirhing loc. cit. n. 16. & alii communiter. Ratio est; quia nomine parentum etiam Matres veniunt. Barbosa de Appell. verb. Juris, §. Parentes. cum communi arg. l. 4. §. Parentes. 2. ff. de in jus vocando. ibi: Parentem hic utriusque sexus accipere. & l. Jurisconsultus. §. Parentes. ff. de Gradib. Tum quia decisio textus c. un. de Desponsat. Impub. non innititur patris potestati, sed parentum amoris juxta dicta num. praeced. atqui amor iste plerumque in matre ardentior est, quam in patre: ergo.

64 Resp. III. Quando parentes contrahunt Sponsalia pro liberis absentibus, regulariter non sufficit sola eorum taciturnitas, postquam aliunde resciant factum parentum, sed requiritur insuper aliud signum sufficiens, quod liberi factum parentum postea rescientes tacite, vel expresse consentiant, & ratificent Sponsalia a parentibus suo nomine contracta. Guttier. cap. 13. n. 11. Sanchez loc. cit. n. 17. Joan. Andreus in cit. c. un. de Desponsat. Impub. in 6. & ibidem Ancharanus num. 2. ac plures alii cum Glossa marginali. Probatur conclusio ex cit. c. un. de Desponsat. Impub. in 6. ubi manifesta ponitur differentia inter Sponsalia per parentes pro liberis praesentibus, & inter Sponsalia pro eisdem absentibus contracta, & statuitur, quod haec ultima tunc tantum valeant, si filii tempore Sponsalium absentes, & etiam ignorantes, postea scientes ratificaverint tacite vel expresse: alia ex Sponsalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publice honestatis justitia inde resurgit, prout habent verba cit. c. un. §. fin. Ex quibus aperte patet, non sufficere ad praesata Sponsalia, quod resciat & taceat, sed quod praesens Sponsalia tacite vel expresse ratificet proles.

65 Notandum tamen, quod, si ipsi parentes liberis Sponsalia pro ipsis contracta postea oretenus, aut per epistolam notificent, & liberi non contradicant, sed taceant, tacite consentire, sicut Sponsalia tacite ratificare in Foro externo praesuntur Coniuncti de Sacrament. disp. 21. dub. 3. num. 29. Sporer p. 4. cap. 1. sect. 2. n. 191. citans Tamburinum, & communem aliorum, Anchar. in cit. c. un. §. fin. num. 3. & alii. arg. cit. cap. un. de Desponsat. Impub. in 6. ubi ad ratificanda Sponsalia a parentibus contracta sufficit, si liberi tacite consentiant: atqui hoc faciunt, vel facere censentur, si tacent, dum eisdem ipsimet parentes Sponsalia pro ipsis contracta notificant: ergo. Min. probatur, quia licet alia taciturnitas non habeatur pro tacito consensu, nec tacens consentire videatur, dum agitur de praerudicio, & obligatione tacentis, per dicta num. 43. tamen hoc fallit in casu, quo parentes pro liberis quid agunt, v. g.

Sponsalia contrahunt, tunc enim filii, si tacent, tacite consentire videntur arg. cit. c. un. §. Porro. ibi: vel tacite ut si non contradicerint: idque ob rationem n. 62. positam.

Nec refert, quod ipsi contractui praesentes non fuerint; quia non est major ratio, cur liberi contractui praesentes, tacendo consentire videantur, & non, si contractus in eorum absentia factus, postea per ipsos parentes eisdem notificetur, & filii ad relationem taceant; cum aequè in hoc ac priori casu liberi consentire, vel dissentium parentibus manifestare, saltem ex honestate deberent, & non manifestantes, sed tacentes tacite consentire censentur facto parentum, utpote quos supponunt, quod ex innato erga liberos amore, & officio suo non nisi in commodum liberorum contraxerint. arg. l. Nec in ea. 22. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult. prout supra n. 62. jam dictum. Hinc notanter dicitur in Conclusione, si aliunde, & non ab ipsis parentibus resciant, cum enim aliis factum parentum absque horum commissione narantibus tantam reverentiam non debeant, nec manifestare teneantur, an consentiant: vel dissentiant, tacentes tacite consentire non praesuntur, ut praesuntur, si ad relationem ipsorum parentum tacent.

Porro si non tantum tacent, sed aliud etiam signum edunt, quo tacite, vel expresse consentient praesuntur, valebunt Sponsalia in eorum absentia a parentibus contracta, sine deinde parentibus, sive alio contractus eisdem intimetur, textu expresso cit. c. un. §. Porro de Desponsat. Impub. Ex quibus autem signis desumatur tacitus consensus, colliges ex dictis n. 56.

§. IV.

De Defloratione, Copula, Impragnatione cum vel sine promissione, aut spe Matrimonii facta, signum Sponsaliorum praesente aut obligationem ducendi, vel dotandi inducente.

S U M M A R I U M.

- 67 Copula, vel Defloratio, nisi alia concurrant, non est signum Sponsalium consensus.
- 68 Bene verò, si alia salum dubia signa, aut verba concurrunt.
- 69 Nisi puella sit male fama.
- 70 Sola Copula absque fraude, metu, vel importunis precibus obtenta, nec ad ducendum, nec ad dotandum, nec ad aliud obligat.
- 71 Qui dolo, vi, aut gravi metu injuste incusso virginem etiam absque spe Matrimonii ad Copulam inducit, eam ducere vel dotare tenetur.
- 72 Ad idem tenetur, qui importunis precibus, aut blanditiis copulam obtinet.
- 73 Etiam precibus importunis seducitur puella.
- 74 Praesertim si sunt a Superiore, Principe &c.
- 75 Si puella nullum damnum patitur, deflorans in Foro interno ante sententiam Judicis ad nihil tenetur.
- 76 Bene tamen postsententiam Judicis.
- 77 Si delictum occultum ipsamet deflorator proferat, tenetur ad restitutionem domini inde secuti, nisi liberè ad copulam consenserit puella.
- 78 Qui vi, metu, dolo, importunis precibus obtinet ab aliqua, quae virgo amplius non est, nec pro tali communiter habetur, ordinariè ad nihil tenetur.

80 Idem

- 80 Item est de puellis male famae aut vitae. Et quid de ancillis, & famularibus Capponum?
- 81 Puella statu tantum, non item vitae, & moribus vilis, aequè ac alii satis fieri debet.
- 82 Etiam corrupta, si reverà detrimentum injustè patitur.
- 83 Seducens vi, fraude, metu, aut importunis precibus prius jam corruptam, communiter tamen putatam virginem, tenetur eam ducere, vel dotare.
- 84 Virgo quaevis praesumitur in Foro externo. Quivis praesumitur bonus, donec probetur malus. Ibid.
- 85 Puella in Foro externo praesumitur seducta.
- 86 Hinc habet in dicto Foro causam favorabilem.
- 87 Absque promissione Matrimonii seducens puellam non tenetur eam simul ducere, & dotare, sed sufficit alterutrum. Et num. seq.
- 88 Quamvis, si parentes aut seducta Matrimonium recuset, tenetur absolute eam dotare.
- 90 Solvitur instantia. In alternatim debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri. Ibid.
- 91 Dos restituenda seductae quomodo in Foro externo regulatur, & mensuratur?
- 92 Debet ei a seductore dari, etiamsi prius jam habeat dotem. Virginitas est secunda Dos. Ibid.
- 93 Et licet nullum passum sit detrimentum, secus est in Foro interno.
- 94 Si puella ex defloratione injusta majus patitur damnum, quam efficit dos, quod gaudet, plus restituere tenetur seductor. Et duobus num. seqq.
- 95 Plus debet ordinariè restitui puella nobili, vel specialibus donis naturae ornata, quam ignobili, aut deformi.
- 96 Juxta arbitrium Judicis.
- 97 Ceteris paribus dives deflorator non tenetur plus dare defloratae, quam pauper. Quomodo intelligendum, quod dos debeat defloratae dari juxta facultates defloratoris? Ibid. & num. seq.
- 100 Impossibile nullum est obligatio. Difficile valde, ac impossibile idem est Judicium. Ibid.
- 101 Si deflorator, quantum tenetur, non habet, debet tantum restituere, quantum interim potest cum obligatione supplendi reliquum, si ad pinguiorem fortunam venerit.
- 102 In Foro interno dos inique seductae restituenda non mensuratur juxta c. 1. de Adult. & stup. sed praesertim juxta damnum, quod seducta inde patitur.
- 103 Et in hoc Foro ordinariè plus restitui debet nobili, aut specialiter pulchrae &c. quam ignobili, aut deformi.
- 104 Debet fieri restitutio pro quantitate damni, etsi ad minus obliget Judex.
- 105 Satisfacit in Foro interno seducta, si puellam sibi aequale ducere paratus est.
- 106 In Foro interno ad nihil tenetur, qui solis importunis precibus seducit.
- 107 Bene tamen in Foro externo. Et ad quid?
- 108 Causa prolis dicitur discussio.
- 109 Si deflorator sufficenter ad dotandum medic non habet, & deflorata nubere ei nolit, debet in foro externo compelli, ut det quantum potest.
- 110 In Foro interno autem quantum damnae virginis si nubendo velit satisfacere.
- 111 Si injustus deflorator non habet media ad dotandum, vel sufficenter compensandum damnum puellae illatum, tenetur eam ducere: Et numer. seq.

Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV,

- 113 Nisi deflorata sit notabiliter inferioris conditionis; tunc enim in Foro interno ducere eam non tenetur.
- 114 Bene verò in Foro externo.
- 115 Qui sub ficta spe Matrimonii obtinet usum corporis, tenetur in utroque Foro deceptum ducere.
- 116 Nec satisfacit dotando. Et num. 118.
- 117 Nec excusatur ab obligatione ex eo, quod flicite tantum promiserit. Et quare?
- 118 Aliud pro alio invito creditori solvi non potest.
- 119 Sub ficta promissione usum corporis obtinens tenetur ducere deceptum, etsi haec nihil repromiserit.
- 120 Solvitur objectio, & ulterius ostenditur, ex quo capite teneatur absolute nubere.
- 121 Si vir notabiliter excedit conditionem puellae, & hoc scivit, vel scire potuit puella, non tenetur eam ducere, sub ficta promissione Matrimonii ad copulam inducens. Scire, & scire debere paria sunt. Ibid.
- 122 Si verò puella nescivit excessum, vel scivit quidem, decipiens tamen ei tacite promisit, quod de seria promissione nullus dubitare potuisset, tenetur eam ducere, & quare? usque ad n. 127.
- 127 Si puella fictionem facile advertere poterat, non tenetur eam ducere decipiens.
- 128 Neque si puella reciproce decepti virum fingendo se virginem.
- 129 Neque si interveniat causa aliqua, ob quam justè solvuntur Sponsalia.
- 130 Qui sub ficta spe Matrimonii aliquam seducit, & non potest eam ducere, an tenetur illam dotare? & num. seq.
- 132 Clericus, vel uxoratus sub ficta spe Matrimonii deflorans aliquam, tenetur eam dotare, & quomodo?
- 133 Quis tenetur alimentare prolem?
- 134 Renuens Matrimonium, ad quod obligatur, an, & quomodo compellendus? Remissive.
- 135 Compendiosa recapitulatio de obligatione ducendi, vel dotandi cum vel sine spe Matrimonii seductam.

Quaeritur I. An, & quando Copula carnalis Defloratio, aut impragnatio sine ulla etiam ficta promissione Matrimonii, facta habeatur pro signo consensus Sponsalium, aut saltem obliget ad ducendum, vel dotandum? Resp. I. Copula carnalis, cum altero sexu absolute loquendo, & nisi alia concurrant, non praebet sufficiens signum Sponsalium consensus. Communis ac certa. Ratio patet; quia copula fieri potest & seorsim, imò a potiori fieri solet ex sola libidine absque ullo animo Matrimonium inveniendi: ergo illa sola consensus seu mens Sponsalium praesumi non potest, nec debet, per vulgaria Juris principia de Praesumptionibus.

Resp. II. Si una cum Copula concurrunt verba, aut signa dubia Sponsaliorum contractorem, nunc Copula praesumitur, ac censetur facta animo Sponsalium, seu, illa cum ceteris dubiis signis praebet in Foro externo signum sufficiens praesumendi Sponsalia, consequenter Reum absolute condemnandi ad nubendum. Sporer p. 4. cap. 1. sect. 2. nu 186. Gobath. Tr. 10. casu 2. num. 6. num. 276. Perez Disp. 12. sect. 4. Menoch. de Praesumpt. lib. 1. Praesumpt. 1. arg. c. Is qui fidem. 30. h. t. ubi etiam Matrimonium praesumitur: ergo multò magis Sponsalia: & c. 2. & 6. de Condition. oppos. Ratio est; quia honesta puella non censetur praebere usum corporis, nisi suo Iposito, ac sub spe futuri Matrimonii, sub qua facile puellae etiam ceteroquin honeste persuadentur: ergo ubi de Matrimonio tractatur, atque signa & copula concurrunt, de factis Sponsalibus merito praesumi, ac judicari debet.

Dicitur

B

69 Dicitur autem notanter in Foro externo; quia in Foro interno ad simpliciter ducendum in tali casu non tenetur; si promissionem Matrimonii revera non fecit, per dicta num. 27. Imò nec in Foro externo tenebitur, si puella honesta non fuit, sed communis, & pluribus exposita, aut alias malae vitae, ac in hoc genere suspecta, aut difamata per dicenda infra num. 79. & 80. Porro ad quid ratione copulae sine ulla promissione Matrimonii facta tam in Foro interno quam externo obligetur, patebit statim ex sequenti Conclusionem.

70 Queritur II. An, & ad quid obliget Copula, Defloratio, aut Imprægnatio sine ulla spe aut promissione Matrimonii facta? Resp. I. Hic iterum distinguendum esse inter Forum internum & externum. Et quidem loquendo de Foro interno, si quis absque vi, vel fraude, vel metu injuste incusso, & absque promissione Matrimonii, item absque precibus, & instantiis importunis cum libere consentiente conjungitur, eamque vel prius jam corruptam carnaliter cognoscit, vel ut virginem deflorat, ac etiam imprægnat, in Foro conscientie eam nec ducere, nec dotare tenetur. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 1. & 2. Navarrus in Manual. cap. 16. num. 21. Barbosa in c. 1. de Adult. & Sup. num. 2. Pithing. h. t. nu. 49. Molina tr. 3. disp. 106. n. 10. cum communi. Ratio est: tum quia talis non tenetur ratione promissionis, utpote, ut supponitur, non factæ: Nec ratione injuriæ illatæ; cum injuriam consentienti non intulerit, nam scienti & consentienti non fit injuria neque dolus, c. Scienti. 27. de R. l. in 6. Tum quia Jura ratione deflorationis aut stupri, restitutionem aut satisfactioem imponunt loquuntur tantum de seducantibus, & decipientibus, ut videre est c. 1. & 2. de Adult. & Sup. qualis non contingit in casu conclusionis: ergo. In Foro externo tamen non censetur liberè consentisse, sed præsumitur seducta, juxta dicenda infra nu. 85.

71 Resp. II. Qui vi, dolo, vel fraude, aut gravi injusto metu virginem etiam absque spe Matrimonii defloravit, in utroque tam interno nempe, quam externo Foro tenetur eam vel ducere, vel dotare. Barbosa in c. 1. de Adult. & Sup. nu. 7. & seq. & ibi Anchoranus, Abbas, & Canonistæ communiter, Lessius loc. cit. num. 10. Navarrus in Manual. cap. 16. nu. 17. Sylvester vers. Luxuria. q. 5. Molina tr. 3. de I. & I. cum communissima & certa aliorum, arg. cit. c. 1. de Adult. & Sup. ibi: Si seduxerit quis virginem, nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem, per quod patet ad Forum externum. De foro interno

Ratio est; quia talis per injuriam damnum intulit puellæ, cum, uti supponitur, puella ob notam deflorationem æquales nuptias amplius acquirere non possit: ergo tenetur damnum rescicere, cum omnis injustè damnificans ad restitutionem, aut compensationem teneatur arg. c. fin. de Injur. & dam. dat. c. 1. un. C. de sentent. qua pro eo, consequenter cum damnum aliter rescicari non possit, quam ducendo, vel ita dotando, ut æquè honestis nuptiis potiri possit, ac si deflorata non fuisset, ad alterutrum tenebitur.

72 Resp. III. Etiam ille, qui absque vi, vel fraude, vel gravi metu injustè incusso, ac etiam absque promissione Matrimonii virginem solis importunis precibus, blanditiis, muneribus, aut instantiis deflorat, tenetur saltem in externo Foro eam ducere, vel dotare. Navarrus in Manual. cap. 16. num. 17. Gonzal. in c. 1. de Adult. & Sup. Gutierrez lib. 1. can. 49. q. 37. num. 15. citans communem. Valquez de Restit. Pithing. h. t. nu. 50. Lessius lib. 2. cap. 10. num. 4. & alii. Probat manifestè ex cit. c. 1.

de Adult. & Sup. per textum nu. præced. allegatum, vi cujus omnis ille, ad ducendam vel dotandam virginem obligatur, qui seducens virginem, dormierit cum ea, sed importunis precibus, blanditiis, muneribus &c. inducens puellam ad consentium Copulae, verè eam seducere censetur L. 1. C. de Rap. Virg. ibi: nisi sollicitaverit: ergo.

Confirmatur I. Verba Legis & Juris intelligenda atque accipienda sunt juxta communem intelligentiam, atque communem usum hominum, arg. c. Ex literis. il. 1. h. t. & l. Labeo. ff. de Suppell. legat. ibi: Ex communi usu nomina exaudiri debent; atqui secundum usum intelligentiam, & æstimationem communem seducere puellam non tantum ille dicitur, qui eam metu, fraude, vel dolo, sed etiam, qui eam importunis precibus, blanditiis, muneribus &c. ad consentium inducit, cum etiam in hoc casu communiter, & verè dici soleat. seduxit bonam puellam. (Er hat das gute Mägdal verführt.) quam querelam, & commune dictum in simili casu semper audire est à parentibus, amicis, ac aliis; imò ab ipsa puella in tali casu ordinariè objiciente, (du hast mich verführt:) ergo. Huc quadrat illud apud Terentium: Etiam nunc me seducere dicitis istis perulis?

Confirmatur II. Importuna preces metui comparantur. Gutierrez loc. cit. L. 1. junctâ Glofâ vers. Extorta. C. Ne filius pro patre, ubi Extortum dicitur, quod suasionibus fit, junctâ L. 1. C. de Raptu Virg. quod maxime procedit respectu foeminarum magis timidarum. Innocent. in c. petio in prim. de Jurjur. ubi propterea dicitur contractum ab uxore ob nimias preces mariti factum, rescindi posse, ac si esset metu celebratus: ergo.

Dices. Consentienti non fit injuria, neque dolus, c. Scienti. 27. de R. J. in 6. ergo saltem tunc ad nihil tenebitur Deflorator, si puella absque vi, metu, vel fraude solis precibus, aut instantiis est importunis inducitur consentiat. Resp. negando consequentiam; quia ad contrahendam in foro externo obligationem ducendi, vel dotandi per dicta Jura, c. 1. de Adult. & Sup. necessariò non requiritur, quòd puella fiat injuria per vim, dolum, injustumve metum; sed sufficit si seduxerit quis virginem, quòd etiam solis importunis precibus, aut instantiis fieri communiter censetur, prout dictum, & bene observat Navarrus loc. cit. nu. 16. Gonzalez ly vers. Seduxerit, arg. cit. L. 1. de Raptu virg. ibi: Nisi sollicitaverit.

Illud communiter etiam Adversarii fateantur, uti videre est apud Pithing. h. t. 50. Molinam tr. 3. Disp. 106. nu. 1. & alios, quòd si puella talibus inducatur precibus, quæ merito æquiparantur metui; prout, si importunis precibus aut blanditiis eam sollicitat Dominus, Princeps, Superior, aut magnus, à quo dependet, benefactor &c. Cui tam importunè sollicitanti puella ex metu reverentialis, aut mali timore, vel præ verecundia non audet resistere, verè censetur seducta; consequenter ita inducens tenetur eam ducere, vel dotare, juxta cit. c. 1. de Adult. & Sup.

Limitatur autem utraque Conclusio nu. 71. & 72. 76 posita quoad Forum internum in casu, quo puella seducta æquè commodas acquisivit, vel acquirere potest nuptias, ac si corrupta non fuisset, uti semper fit, si defloratio manet occulta: tunc enim ante sententiam Judicis in Foro conscientie ad nihil tenetur deflorator. Pithing. de Adult. & Sup. §. 3. num. 47. Gutierrez can. 49. q. 37. num. 25. Lessius de I. & I. lib. 2. cap. 10. nu. 15. & alii. Ratio est; quia tunc nec vi legis, nec ratione damni illati in Foro externo confurgit aliqua obligatio. Non vi legis; quia cum dispositio c. 1. de Adult. & Sup. sit penalis, in odium seductionis lata, externamque poenæ executionem requirit, ante sententiam

Judicis non obligat, arg. c. Cum secundum de Heret. in 6. & amplius patet ex dictis lib. I. Tu. II. §. 10. à num. 221. Nec vi damni illati, quia, uti supponitur, tale præter deflorationem nullum adest; pro sola autem defloratione, si aliud damnum adest, nihil debetur, hoc ipso, quòd virginitas per deflorationem violata irreparabilis sit: ergo. Ex hoc inferitur, ex defloratione etiam per vim, dolum, metum injustum, importunas preces factâ rarissime oriri obligationem ducendi aut dotandi defloratam, si seducta non fuit imprægnata; quia imprægnatione non contingente defloratio ordinariè manet occulta, indeque actio puellæ evitatur, & nulla in Foro externo actio confurgit.

77 Dicitur autem notanter ante sententiam Judicis, quia, si puella deflorata contra defloratorem, uti potest, agit, & Judex sententiam, prout debet, profert, tenetur deflorator etiam in Foro interno defloratæ dare dotem, juxta dicenda infra nu. 91. & seq. mensurandam, etsi puella potita sit, aut facile potiri possit æquè commodis nuptiis, ac si violata non fuisset; seu etsi præter deflorationem damnum aliquod passa non esset. Ratio est; quia penalis dispositio c. 1. de Adult. & Sup. principaliter etiam lata est in odium criminis, consequenter etiam absque damno tertii secuto obligat post Judicis sententiam; licet enim Lex poenalis, ac poenæ ipso Jure impostæ externam executionem requirunt in Foro interno non obligant ante sententiam Judicis per dicta n. præced. Obligant tamen post illam, ut habet unanimis; cum quivis justæ sententiæ juxta Leges latae parere teneatur, nisi justè appellet, per dicta L. 2. Tit. 27. de Sentent. & re Judicæ.

78 Quòd si crimen aliud occultum deflorator postmodum ipsemet propalet, indeque damnum puellæ defloratæ caulet; tenetur illud ad æqualitatem etiam in Foro interno, ante & omnem Judicis sententiam rescicere. Lugo de I. & I. Disp. 12. scd. 1. num. 6. Pithing. h. t. n. 48. Molina tr. 3. Disp. 104. n. 13. in fin. cum communi. Ratio patet, quia tam Jure naturali, quam positivo quisvis in Foro conscientie ante omnem sententiam rescicere tenetur damnum injustè illatum, arg. L. un. C. de Sentent. que pro &, & c. fin. de Injur. damno dat. juncto can. Si res aliena can. 14. q. 6. Talis autem damnum injustè intulit, si non deflorando saltem injustè difamando. Ex quo capite etiam ille ad restitutionem tenetur, qui liberè consentientem carnaliter cognoscit; & crimen occultum propalat, Doctores citati; possente. ita difamata etiam in foro externo agere contra difamatores damnum rescicere recusantem, vel actione injuriarum ex l. Diffamari, vel pro acquirenda dote ex causa deflorationis c. 1. de Adult. & Sup. ubi non evitaret poenam deflorator dicendo, quòd puella libere consentierit, aut virgo non fuerit; quia in Foro externo puella præsumitur virgo, & esse seducta, juxta dicenda nu. 84. & 85. Si tamen Judex ex præsumptione ad plus condemnare Reum, quàm damnum puellæ per diffamationem illatum reverè efficit, excessum saltem in occulto restituere utique teneatur puella.

79 Resp. IV. Qui absque promissione Matrimonii, vi, injusto metu, dolo, vel importunis precibus, aut blanditiis carnaliter cognoscit puellam, quæ amplius virgo non est, nec communiter pro tali habetur utpote publica meretrix, vel talis, de qua in communitate jam constat, quòd fuerit corrupta, ordinarè in nullo Foro ad aliquid tenetur. Barbosa, Farinacius, Engel, ubi statim infra cum communi. Et quidem de Foro externo patet ex c. 1. de Adult. & Sup. cum enim ibidem tantum ille ducere vel dotare teneatur, qui virginem seducit: ergo à sensu contrario, qui non virginem

seducit, non tenetur: valet enim argumentum à sensu contrario, arg. L. 1. §. Hujus rei, de Offic. ejus, cui mandata est jurisdic. & l. Qui Testamento, §. Mulier. ubi Glofâ ff. de Testam. cum Consortantibus, Barbosa in Tract. Locorum communium, loco 77. à Contrario sensu, cum communi. Probat etiam de Foro interno: quia, uti supponitur, damnum aliquod prius jam notoriè corruptæ non causavit; utpote quæ ut talis prius jam cognita, magis commodis nuptiis potita non fuisset, etsi seductio ulterior non accessisset.

Porro etsi prius corrupta non sciatur, nec probetur, existat tamen puella vitæ vilis, ac minus honestæ, vel passim vagans, aut non servato verecundie pudore; admittens non admittenda, eam regulariter nec dotare, nec ducere tenetur deflorator. Barbosa in cit. c. 1. de Adult. & Sup. nu. 9. Farinacius Consil. 90. per totum. Engel loc. cit. num. 14. & alii communiter, arg. l. Quæ adulterium, in fine. C. ad Leg. Jul. de Adult. Ratio est: tum quia contra tales est præsumptio, quòd virginitas non fuit. Tum quia c. 1. de Adult. & Sup. censetur solim facere pro virginibus honestis. Hinc in specie famulabus, seu ancillis cauponæ sturatorem nihil debere, tenet loc. cit. nu. 11. Barbosa, ubi etiam citat Alciat. in l. Inter stup. num. 5. ff. V. S. & alios: idem docet Farinacius loc. cit. nu. 3. plures alios referens, arg. l. Quæ Adult. in princ. & ibi Glofâ l. In figuratone casus, junctâ Glofâ §. Quæ Adulterium. C. ad Leg. Jul. de Adult. Ratio est: tum quia tales plerumque vel sunt, vel certè præsumuntur vitæ minus honestæ, arg. cit. l. Quæ Adult. Verum hoc limitandum videtur in casu, quò constat, hujusmodi cauponæ famulam, vel ancillam etiam potum administrantem v.g. Kellerin fuisse alius honestæ vitæ; prout reverè plures similes inventur in nostris partibus, ubi etiam in cauponis famulæ sunt, & censentur honestæ, nisi aliud probetur.

Illud firmiter tenendum, teneri seductorem dotare, vel ducere virginem, etsi vilis status ad conditionis sit v. g. paupercula, rusticana &c. dummodò fuerit honestæ vitæ, Doctores num. præced. citati, cum communi. Nec obstat, quòd l. Quæ adultera. C. de Adult. & quidam Doctores excludere videantur omnes viles personas, quia loquuntur de vitæ, quæ desinitur ex vita & moribus, non quæ habetur ex conditione status, uti loc. cit. bene observat & probat Farinacius arg. cit. l. Quæ adultera, ubi licet domina cauponæ reputetur vilis persona, tamen jure censetur comprehensa, si honestæ sciatur vitæ.

Imò etiam notariè prius corruptam cognoscens, 82 tenetur in Foro conscientie damnum rescicere, si vi, dolo, aut injusto metu, eam de novo seducens reverè damnum causavit, prout contingere potest, si prius seducta, jam per longum tempus emendatam ac honestam duxit vitam, & propterea, vel ob alias causas ipem proximam, vel promissum habeat boni Matrimonii; aut alio beneficio frui, isto autem ob novum lapsum privaretur. Cum enim in tali casu vir puellæ, etsi corruptæ, injuriam & damnum injustè reverè inferat, illud in conscientia rescicere de Jure Divino & naturali omnino tenetur per vulgaria restitutionis principia arg. l. un. C. de Sentent. qua pro eo, & c. fin. de Injur. & damno dat. Hinc in Conclusionem nu. 79. posita notenter dictum est Ordinariè, quæ extraordinariè loquendo corruptæ quoque per novam copulam damnum injustè inferri potest, uti ex dictis patet.

83 Resp. V. Qui vi, injusto metu, fraude, dolo, aut importunis precibus absque promissione Matrimonii seducit, vel cognoscit puellam talem, quæ quidem prius jam fuit corrupta, communiter ta-

men habebatur pro virgine, & honesta puella tenetur in utroque Foro eam ducere, vel dotare, casu quo extinde infamia sequatur, uti, si puella imprægnetur, vel per ipsius fornicatoris propositiorem, aut alius delictum fiat palam. Navarrus in Manual. cap. 16. n. 19. Azorius p. 3. lib. 5. cap. 5. Difficult. 11. Pirhing h. t. num. 48. Major in 3. dist. 37. q. 11. & alii communiter. Probatur de Foro externo; quia in hoc puella præsumitur fuisse virgo, ac seducta, juxta statim dicenda; consequenter eam seducens obligatur ad ducendum vel dotandum, c. 1. de Adult. & Sup. probatur etiam de Foro interno; qui in tali casu puellam, si non verbo, saltem injusto facto, copulâ nempe iniquè obtentâ, in illè diffamavit ac damnificavit; ergo tenetur in conscientia damnum inde secutum resarcire per vulgaria Juris, præsertim num. 78. allata.

84 Resp. VI. In Foro externo quævis præsumitur fuisse virgo. Anchoranus in c. 1. de Adult. & Sup. & ibi Abbas, atque Barbosa nu. 4. Engel. h. t. nu. 14. Sannig h. t. cap. 3. nu. 6. cum communi aliorum propterâ docentium, quod contrarium asserenti incumbat probatio; arg. c. un. Ut benefic. Eccles. sine dmin. Ratio est; quia quivis præsumitur bonus, donec probetur malus. l. Meritis. §. 1. ff. Pro socio. Et hoc vel maximè procedit, si puella parata est ad juramentum. Engel. ibid. Potest tamen præsumptio Juris pro virgine faciens, aliis præsumptionibus elidi, ut bene observant DD. De quibus præsumptionibus, sicut etiam quomodo puella non virgo, aut inhonestâ ejus vita probetur, vide latè Farinacius de Delictis carnis. q. 136. ubi etiam habes an, & quando testes singulares quoad hoc probent.

85 Porro sicut quævis in Foro externo præsumitur virgo, ita in eodem Foro quævis præsumitur a viro seducta, consequenter consecuta jus petendi ab eam cognoscente, vel ut ducat, vel dotet. Anchoranus in cit. c. 1. de Adult. & Sup. & ibi Barbosa n. 3. Engel. h. t. nu. 14. Lugo ubi supra num. 3. Gutierrez lib. 1. can. 99. q. 37. num. 11. dicens, ita docere omnes, estque reverâ communis, arg. L. 1. C. de Rapt. Virg. & l. 3. §. Si quis volentem. ff. de liber. hom. exhib. & l. 1. §. Perjurato. ff. de Servo corrupto. Ratio est; quia hoc ipso, quod aliqua sit, vel præsumatur honesta puella, præsumitur etiam ad copulam non consentire, nisi vi, metu, dolo, aut importunis precibus seducatur, cit. l. 1. C. de Rapt. Virg.

86 Infertur, valdè favorabilem in Foro externo esse causam puellarum contra cognoscentes, aut imprægnatos agentium; utpotè quæ non tantùm præsumuntur prius fuisse virgines, sed etiam seductæ; consequenter hoc solo, quod probent, sese à certo quodam carnaliter cognitas fuisse, totam lucrantur causam in Foro externo, ita ut cognoscentes talem vel ducere, vel dotare teneatur. Doctores citati cum communi, arg. cit. c. 1. de Adult. & Sup. Gonzalez in cit. c. 1. de Adult. & Sup.

87 Resp. VII. Qui abique promissione Matrimonii virginem vi, fraude, gravi metu injustè incusso, aut importunis precibus seducit, ac deflorat, non tenetur copulativè eam ducere simul, & dotare, sed in utroque Foro satisficit, si eam ducat, vel parente, aut seductâ Matrimonium recusante, eam dotet. Barbosa in cit. 1. de Adult. & Sup. & ibi Anchoranus num. 4. Butr. num. 2. Abbas numer. 4. Anan. mon. 4. Azorius p. 3. lib. 5. cap. 5. Quæres. Clarus §. Stuprum, num. 3. Pirhing. h. t. n. 45. Engel. h. t. num. 11. Gutierrez can. 99. lib. 1. q. 37. num. 7. & Jeq. Gomez l. 80. Taur. nu. 8. Rota Decis. 779. p. 4. divers. Lugo de Jus. & Jur. Diss. 2. sect. 1. numer. 11. Lessius loc. cit. num. 13. arg. c. 2. de Adult. & Sup. ubi non absolute, sed sub alternatione seductor compellitur; in alternativis autem sufficit

alterutrum adimplere, c. In alternativis, de R. 1. in 6. & l. Plerumque 10. in fin. ff. de Jure dotium. Confirmatur receptâ consuetudine & praxi omnium ferè Tribunalium Ecclesiasticorum, teste Gomez loc. cit. Gutierrez cit. q. 37. Barbosa loc. cit. consuetudo autem est optima L. gum interpret. c. Cum dilectus 8. de Consuetud.

Nec obstat c. 1. de Adult. & Sup. ubi copulativè requiritur, ut ducens virginem, dotet eam simul & ducat. Resp. enim ibi dictionem & sumi provel, prout non raro in Jure accipitur, uti videre est l. Sepè ff. de V. S. ibi: Sepè ita computatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis, & l. Conjunctionem. ff. eod. ibi: Conjunctionem enim nonnunquam pro disjunctione accipit, Labeo ait. Quod autem etiam ad propositum ita sumi debeat, desumitur tum ex recepta Tribunalium praxi & consuetudine, quæ est optima Legem interpret. L. 37. ff. de Legib. Tum ex aliis Juribus præsertim c. 2. eod. cum quibus c. 1. eod. concordare oportet, arg. c. Cum expedit. 20. de Elect. in 6. vel dicunt Rota Decis. 779. p. 4. divers. & Doctores citatis. textum c. 1. de Adult. & Sup. causativè loquuta ut ducere etiam teneatur, si dotare nolit: quod si verò dotare velit, ducere illam nullatenus teneatur.

89 Resp. VIII. Si puella per vim, metum gravem injustè incussum, dolo, aut importunis precibus seducta, vel pater ejus recuset Matrimonium cum seductore, ac deflorante, tenetur hic determinatè ad dotandum puellam, nec liberatur ab onere, si dicat: in satisfactionem velo illam ducere in uxorem, Barbosa in cit. c. 1. de Adult. & Sup. & ibi Hofstiensis nu. 1. in fine, atque Gonzalez num. 7. Farinacius de Delictis carnis. q. 147. nu. 105. Azorius p. 3. lib. 5. cap. 5. Difficult. 4. Lugo de l. & i. Diss. 12. sect. 1. nu. 12. Lessius lib. 2. cap. 10. nu. 12. Pirhing. h. t. num. 46. Clarus §. Stuprum, numer. 3. & alii communiter contra Molinam, & nonnullos alios volentes, saltem tunc defloratorem liberari ab onere dotandi, si sit virgini defloratæ conveniens, & offerat se ad eam ducendam. Probatur autem nostra Conclusio aperto textu c. 1. de Adult. & Sup. ibi: Si verò pater Virginis dare noluert (& multò magis, si puella ipsa, utpote principaliter offensa nubere ei recuset) reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. Ratio est; quia si virgo deflorata stupratorem vel accipere, vel dote carere deberet, non compensaretur ei æqualiter damnum injustè illatum; nam puella prius habebat libertatem nubendi, cui vellet; quâ privaretur, si tunc deberet necessariò contrahere cum tali, qui ei forsitan non placet; vel carere dote ad inveniendam æqualem; sive æquè commodum Matrimonium.

Dices. Juxta dictâ nu. 87. stuprator non copulativè, sed disjunctivè, seu alternativè tantùm tenetur defloratam ducere, vel dotare; ergo, si eam ducere vult, dotare non tenetur, si puella ei nubere recuset; Nam in alternativis debitoris est electio; & sufficit alterum adimpleri, c. In alternativis, de R. 1. in 6. Resp. negando Conseq. Ad probationem respondetur, distinguendo. In alternativis est electio debitoris, si alter Jura non disponunt, conceditur; si aliter disponunt, negatur; hic autem Jus expressè disponit, quod, si pater puellam dare noluert, & consequenter etiam, si ipsa nubere recuset, teneatur stuprator dotare corruptam.

90 Queritur II. Quomodo regulanda ac determinanda sit quantitas dotis, quam restituere debet deflorator, casu quo puellam ducere nolit, aut ducere volentem recuset puella vel parentes ejus? Resp. I. Hic iterum distinguendum est inter Forum internum, & externum. Nam quoad Forum externum

in determinanda ac regulanda dote per defloratorem puellæ restituenda, principaliter attenditur quantitas dotis juxta facultates parentis, qualitatem puellæ, qualitatemque, & dignitatem mariti, quem consequendi prædentem spem puella habuisset, si violata non fuisset; consequenter ille, qui veram, vel communiter putatam virginem etiam sine spe aut promissione Matrimonii, vi, dolo, vel fraude, aut metu injustè incusso, aut importunis precibus, vel blanditiis seduxit, ad tantam dotis quantitatem obligari & damari debet, quantum parentes ejus, consideratis puellæ & mariti, quem non violata acquirere potuissent, qualitibus aut dignitatibus, reverâ dedissent, aut ex hereditate parentis defuncti, vel aliunde puella jam habens marito assignasset, attentâ etiam loci consuetudine. Glossa in c. 1. de Adult. & Sup. v. Juxta modum, & ibi Gonzalez num. 8. circa fin. citans Didacum Perez in princip. Tit. 15. lib. 8. Ord. Costil. de Aliment. cap. 26. num. 7. Carpoz. prax. crim. p. 2. q. 68. nu. 13. Berlich. p. 5. Concl. præcl. 28. n. 20. Farinac. de Delictis carn. q. 147. n. 24. & Jeq. arg. cit. c. 1. de Adult. & Sup. ubi pro Foro externo in odium & penam delicti expressè ita statuitur: Si pater Virginis dare noluert, reddet pecuniam dotis, quam virgines accipere consueverunt. Dos autem, quam virgines accipere consueverunt, modo in conclusione dicto regulatur & mensuratur, arg. l. Si filia 41. ff. de Legat. 3. l. Si Curator 9. C. de Administr. Tut. & l. Cum potest. 69. §. Gener. ff. de Jure dotium. ibi: Dotis etiam quantitas pro modo facultatum patris, & dignitatis mariti constituitur; nisi aliud habeat loci consuetudo; utpote que Legi derogat, c. fin. de Consuetud. ob quod dictum est in conclusione, attentâ etiam loci consuetudine. Quid autem pater consideratis considerandis pro dote puellæ dedisset, statim etiam juramento ejusdem.

92 Ampliatur Conclusio I. & procedit etiam in casu, quo puella non obitante defloratione adhuc habet, vel habere potest competentem dotem; quia virginitas est secunda, seu altera dos Abbas in cit. c. 1. de Adult. & Sup. num. 5. Gutierrez Can. qq. lib. 1. q. 37. nu. 8. & communis aliorum, quam injustè ablatam, quia ad æqualitatem amplius resarcire non potest (cum virginitas sit irreparabilis) debet in penam & odium delicti etiam substituere dotem in ea quantitate, in qua consideratis considerandis circumstantiis in Conclusione positus est, vel fuisset dos virginis, si deflorata non fuisset, cit. c. 1. de Adult. & Sup. ut proin deflorata duplicem dotem habeat, unam à parentibus, alteram huic æqualem loco virginitatis tanquam secundæ dotis injustè ablatæ, quam in penam delicti dare tenetur injustus deflorator.

93 Ampliatur Conclusio II. ut procedat, etsi deflorata præter amissionem virginitatis penitus nullum damnum passa fuisset: utpote æqualibus nuptiis potita, vel potiri valens, ac si deflorata non fuisset; quia, ut dictum cit. c. 1. de Adult. & Sup. principaliter non in solam compensationem damni, sed in penam delicti statuit, ut in casu Conclusionis positæ puellam dotet; delictam autem existit, penamque secum trahit, etsi omne aliud damnum evitet. Quod intellige de Foro externo; quia in Foro interno, si puella damnum aliquod præter amissionem virginitatis passa non est, eam dotare ante sententiam Judicis non tenetur (benè tamen post illam) juxta dictâ n. 76.

94 Resp. II. Si in casu Conclusionis vera, vel communiter putata virgo majus patitur damnum, ac efficit dos illa, quam consideratis considerandis à parentibus habet, vel non deflorata habuisset, debet deflorator etiam in Foro externo præter dotem Responstuel Jus Can. Tom. IV.

doti puellæ æqualem, etiam ad resarcendum illud, quo damnum est majus, servatâ proportione obligari, casu quo deflorata majus illud damnum legitime probat, ac satisfactioem exigit. Hanc Conclusionem omnes certam fatebuntur, quia certum est etiam in Foro externo quemvis teneri ac obligari posse & debere ad tantum resarcendum, quantum injustè damnificavit, arg. L. un. C. de Sentent. qua pro eo, & c. fin. de Injur. & dam. lat. ergo etiam, qui deflorando injustè plus damnificavit quam dos, quam deflorata habet aut habere potuisset, efficit, plus restituere ac resarcire debet, tantum nempe, quantum importat damnum injustè illatum; non quidem vigore c. 1. de Adult. & Sup. sed vigore aliarum Legum, & Canonum universaliter volentium, etiam in Foro externo quemvis injustè damnificantem, ut ad æqualitatem satisfaciat, condemnari posse ac debere, arg. cit. l. un. C. de Sentent. qua pro eo & c. fin. de Injur. & dam. junct. can. sives altera cau. 14. q. 6. dummodo puella injustè deflorata damnum illud legitime probet, & ratione illius satisfactioem exigit, quod omnino exigere potest, non quidem vi c. 1. de Adult. & Sup. sed vigore aliarum Legum, & Jurium citatorum. Quod si ratione majoris damni nil exigit, vel exigit quidem, sed damnum majus probare nequit, solâ dote in Foro externo debet esse contenta.

Infertur pro Foro externo I. Quod in hoc Foro 95 injustus deflorator ad minimum dare debeat tantam dotem, quantum consideratis ut supra, considerandis puella deflorata prius jam habebat, vel habere potuisset, si deflorata non fuisset.

Infertur II. Injustum defloratorem sæpè etiam in 96 Foro externo majorem dotem dare debere, quam puella consideratis considerandis habet, aut habere potuisset; si nempe plus damni intulit puellæ, hæcque damnum legitime probat, & ratione illius satisfactioem exigit, juxta dictâ num. 94.

Infertur III. Etiam in Foro externo puellæ pau- 97 peri, Nobili, vel specialibus donis natura, aut singulari virtute vel arte præditæ ob injustam deflorationem ordinariè plus restituere debere, ac quantitas dotis, quam habet, aut habere potest, efficit, eò quod ordinariè majus damnum patitur. Hujusmodi enim puellæ, etsi dote careant, vel modicâ gaudeant, intuitu qualitatum præfatarum plerumque æquè honestas acquirunt nuptias, ac alie notabili, vel majori dote pollentes; consequenter cum per injustam deflorationem omni spe similes nuptias amplius acquirere priventur, sicque grave damnum eisdem injustè inferatur, optimo Jure etiam in Foro externo illius compensationem æqualem exigere possunt, dicendo & probando: Sim licet pauper & exiguæ dotis puella, tamen de nobili stemmate sum; vel quia Deus specialibus naturæ donis v. g. venustate me dotavit; vel hanc vel illam artem utilem calleo, simulque toti mundo honestam semper me exhibui, faciliè tales, vel tales nuptias acquirere potuissim, quapropter, quia tu deflorator, vi, dolo, fraude, aut metu injustè incusso me deflorasti, & seduxisti, deflorandoque me graviter damnificasti; peto debitam satisfactioem, tantam nempe dotem, quantum sufficit, ut tales nuptias acquirere valeam, quales faciliè acquisivissim, si deflorata non fuissim; cum omnis injustè damnificans ad æqualem satisfactioem, etiam in Foro externo teneatur, & ut eam præstet, à Judice condemnari debeat, per dictâ numer. 94.

Fatendum tamen, multam in hoc puncto relin- 98 quendum esse arbitrio prudentis ac justi Judicis, quanti æstimandum sit damnum, quod pauper hujusmodi Nobili, aut specialibus donis prædita honesta puella

puella passa est; quamvis arbitrium suum juxta aequitatem & justitiam regulare debeat.

998 Dices: juxta plures Doctores, ut Gonzalez, Farinac. loc. cit. Bajard. ad Clarum y. Stuprum. numer. 17. dos a defloratore restituenda, etiam juxta facultates defloratoris regulanda & mensuranda est: ergo conclusio numer. 91. posita non subsistit. Resp. Praefatos Doctores non ita esse intelligendos, quasi verò dives, aut sufficientibus facultatibus praeditus deflorator, caeteris paribus teneatur majorem dotem dare, quam minus dives: sed ita, quòd ad dotem jure debitam solvendam adstringi debeat, quantum facultates ejus patiuntur, ad eò ut dives & pingues, aut sufficientes facultates habens teneatur tantam dare dotem, quanta consideratis qualitatibus ac dignitate puellae, facultatèque parentum, & more patriae virgini tali dari consuevit, quantaque requiritur & sufficit ut aequales acquirere valeat nuptias, ac si violata non fuisset; five dein illa quantitas parum, five moluum efficiat: consequenter licet quantitas haec centum, mille, vel plures Thalers efficeret, dare deberet per Doctores, & Jura num. 91. citata. Et econtra si consideratis qualitatibus puellae, & facultatibus parentum, moreque Patriae dicta quantitas efficeret tantum viginti, triginta, aut quinquaginta florenos, hos solos dando satisfaceret, nec ad plus obligandus esset deflorator etiam ditissimus, cum cit. c. 1. de Adult. & stup. plus non praecipiat, quam ut tantam dotem, quantum (consideratis considerandis) virginis accipere consueverint. Neque enim ob divitiis aliquis debet esse deterioris conditionis, aut ob illas ad plus, quam Lex praecipit, obligari.

1000 Pauper verò deflorator non semper tantam teneatur dare dotem, quanta considerata qualitate & dignitate puellae, ac facultatibus parentum puellae alius requireretur: sed tantam solummodo, quantum salvo adhuc statu, seu conditione sua dare potest: Tum quia Nemo potest ad impossibile obligari, c. Nemo. 6. de R. I. Nam impossibile nulla obligatio est, Impossibile. 185. ff. de R. J. Saepè autem pauperi, vel mediocri fortunae defloratori impossibile est, tantam dare dotem, quanta aliàs ad dotandam puellam divitem, & Nobilem à se seductam requireretur: ergo. Nec teneatur etiam tantum dare, ex quo totaliter deberet cadere status, ac conditio sua: Tum quia juxta universalia principia restitutionis nemo teneatur restituere cum totali ruina sui, in quo existit, status, nisi forsitan injustè laesus aut pammum passus foret in aequali periculo, prout est communis apud Theologos, & diximus in Theologia nostra Morali. Tum quia cum perditione status sui dotare seductam, esset valdè difficile: Impossibile autem, ac valdè difficile idem est iudicium, arg. l. Cum heres 5. §. 1. ff. de Statu liber. Barbosa de Axiomat. Jur. v. Impossibile. num. 8.

1001 Notandum tamen, eum, qui ad aequalitatem, ac prout Jura requirunt, seductam dotare non potest, posse ac debere compelli, & obligari, ut intereà det, quantum salvo statu suo hic & nunc potest; reliquum verò supplet, quando poterit, vel ad pinguiorem fortunam venerit, Molina de I. & L. Disput. Tr. 3. Disp. 103. num. 16. Ratio patet, quia praesens impotentia, paupertas, aut defectus mediorum non omninò extinguit, sed tantum suspendit obligationem restituendi ad aequale, ita ut veniens ad pinguiorem fortunam aut statum, omninò teneatur, & in utroque Foro adhuc urgeat obligatio, juxta communem Theologorum. Limitatur tamen haec doctrina in casu, quo damnum passa reliquam expresse aut tacite remittit, uti

fieri censetur, si iudice sententiam ferente de certa quantitate, ipsa contenta tacet, nec quidquam de ulteriori obligatione meminit.

Resp. II. Loquendo nunc de Foro interno, si quis puellam dolo, fraude, aut metu injustè incusso carnaliter cognoscit, dos restituenda non regulatur juxta c. 1. de Adult. & stup. sed relinquenda & mensuranda est juxta damnum, quod seductor intulit, ita ut in hoc Foro etiam ante omnem sententiam Judicis tantam quantitatem dare debeat iniquus deflorator, quanta requiritur ac sufficit ad resarciendum damnum, quod ex defloratione puella patitur, praecipue ut aequales nuptias acquirere valeat, quales acquirere spem prudenter concipere potuisset, si violata non fuisset; five dein in haec quantitas major sit, five minor dote, quam hujusmodi puella aliàs habet, vel habuisset. Abbas in c. 1. de Adult. & stup. & ibi Anchoranus nu. 6. & alii communiter. Ratio primae partis est; quia sit. c. 1. de Adult. & stup. tantam dotem imponens, quantum puella deflorata aliàs consideratis considerandis haberet, vel habere potuisset, est poenalis externam executionem requirens: ergo non obligat in Foro interno ante sententiam Judicis, per dicta supra num. 76. consequenter ante sententiam in dicto Foro non dictum, c. 1. sed damnum attendi debet, quod deflorator injustè causavit.

Et hoc tanquam secunda pars Conclusionis probatur; quia in Foro interno de Jure humano, naturali, ac Divino ante omnem Judicis sententiam requiritur, & sufficit, ut quis tantum restituat, aut resarciat, quantum injustè damnificavit, ut habet unanimis & certa, arg. c. fin. de Injur. & damno dat. & l. un. C. de sentent. qua pro: ergo in Foro interno quantitas puellae defloratae danda, regulari, & mensurari debet juxta quantitatem damni, quod puella patitur, ut prois in casu. quo puella, quae iniqua, ut supra num. 87. defloratione damnum modicum, vel nullum passa est, deflorator non nisi modicam dotem vel nihil ante Judicis sententiam restituere teneatur, quamvis puella sit dives, ac pinguem dotem jam habeat, vel sperare valeat. Et econtra si puella damnum grave passa est, deflorator magnam dotem, quae ad resarciendum damnum sufficit, restituere teneatur; si ve dein puella deflorata dives sit, five pauper. Potest enim etiam puella pauperissima gravissimum damnum pati, v. g. si ob specialia dona naturae, aut singularem virtutem vel artem, spem proximam, vel etiam promissum habeat Matrimonii pinguis, eoque per iniquam deflorationem dolo, fraude, aut metu injustè incusso extortam privetur; tali namque in casu deflorator utique magnam, ac tantam in conscientia ante omnem Judicis sententiam restituere teneatur dotem, quanta ad resarciendum damnum requiritur, videlicet, ut ipsa Matrimonium aequale illi, ad quod primò spem prudenter, aut promissum habeat, denuò acquirere valeat. Pariter potest puella pinguis dote aut hereditatis jam praedita, ex iniqua defloratione damnum pati; licet enim suam, quam etiamnum possidet, pinguis dote possit adhuc nuptias commodas acquirere, tamen facile contingere potest, & plerumque solet, quòd ob notam deflorationem non amplius tam commodas ac honestas ac prius habere valeat, sed magis abjectis contenta esse debeat; ob quod utique deflorator in conscientia, & ante omnem Judicis sententiam tantum restituere debet, quantum perpetua iactura magis honesti Matrimonii aestimatur.

Infertur I. Cum in Foro interno praecise attendatur ad damnum, quod ex iniqua defloratione puella patitur, ita ut juxta quantitatem damni ma-

102
gnam

gnam vel modicam dotem restituere ante omnem Judicis sententiam teneatur deflorator, five dein pauper, five dives sit puella, si aliquam, eamque magnam, five nullam, vel modicam dotem habeat, regulariter & ordinariè loquendo, caeteris paribus, in Foro interno deflorator plus restituere teneatur puellae pulchrae, aut aliis donis naturae, vel specialis virtute & arte praeditae quam deforvi, ignavae, aut aliàs defloratae; quia caeteris paribus illa ordinariè honestiores & meliores acquirunt nuptias, consequenter damnum majus patitur illa, quam ista.

1001 Infertur II. Pro eodem Foro, defloratorem teneri pro quantitate damni injustè illati restituere dotem, etiam in casu quo Judex in Foro externo ad minorem dotem per sententiam obliget defloratorem, si vel ex simplicitate, vel ex ignorantia, vel ex negligentia gravitatem damni non proposuit, vel propositam probare non potuit violata. Ratio est; quia Judicis sententia, quae non nisi secundum allegata & probata ferri potest & debet, non relevat in Foro conscientiae illum, qui scit, quòd revera plus nocuerit, damnificaverit aut debeat, ut habet unanimis Theologorum. Secus foret, si puella reliquum condonaret, sententià plenè contenta foret; aut si etiam gravitatem damni, quòd passa est, satis declarasset & probasset; tunc enim pro justitia sententiae, & aequitate Judicis, qui in puncto damni illati multum arbitrari potest, praesumi debet, nisi aperte de injustitia constaret.

1002 Illud hic notandum venit, quòd, si quis deflorator aequalis conditionis, qualitatis, ac dignitatis existens, pro compensatione damni per deflorationem illati offerat se ad ducendam defloratam, haec verò eum respicit, & dotem praetendat, hanc ille ante sententiam Judicis in Foro interno dare non teneatur. Gutierrez Can. 49. lib. 1. 37. q. n. fin. & alii. Ratio est; quia cum juxta dicta in Foro interno ad plus non teneatur, quàm ut damnum resarciat, hoc damnum autem, ut supponitur, ordinariè in hoc consistit, quòd deflorata aequalem virum non amplius inveniat, planè satisfacere, & damnum sufficienter resarcire videtur, eam ducendo, si, ut supponitur, ei in omnibus aequalis existit. Verùm à Foro externo etiam in tali casu ad dotandum compelli posset, ac deberet, eo quòd in hoc Foro in poenam delicti libertas ducendi aut dotandi injustè defloratori adempta, defloratae verò concessa reperitur, adeò, ut haec, si defloratorem nubere volentem nolit, dotem praetendere queat; ille verò dotem dare recusans, & nubendo satisfacere volens, ad dotandum cogi debeat, si puella nuptias recuset, arg. saepè cit. c. 1. de Adult. & stup. quibus concordant dicta supra num. 89.

1006 Ulterius notandum, quòd licet in Foro externo ducere, aut dotare teneatur quis, five vi, fraude, injusto metu, five etiam importunis precibus vel blanditiis seducat puellam, quia in Foro externo in poenam delicti sufficit, si quis seducat virginem, quod etiam ille revera facit, qui importunis precibus aut blanditiis ad lapsum inducit puellam dicta supra num. 72. Tamen in Foro interno ante Judicis sententiam ad nihil obligatus videtur, qui solis precibus, aut blanditiis importunis usum corporis obtinuit; ita à fortiori docent omnes illi, qui absolute negant, ob deflorationem ex solis precibus aut blanditiis importunis provenientem, defloratores ad aliquid teneri, inter quos est Molina Tract. 3. Disp. 106. nu. 1. Lugo de J. & J. Disp. 12. sect. 1. Puring b. t. num. 50. & alii. Ratio autem hujus Notandi est: tum quia scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus, c. Scienti. de R. J. in 6. Tum quia c. 1. de Adult. & stup. quemvis seducen-

tem, consequenter etiam importunè instantem, aut blandientem, ad ducendum, vel dotandum stringens ante Judicis sententiam non obligat utpote ita poenalis, quòd externam executionem requirat, per dicta n. 76. ergo. Hinc notanter diximus supra n. 72. saltem in Foro externo.

1007 Imò solis precibus aut instantibus importunis seducens, etiam in Foro externo condemnari non potest ad plus dandum, quàm dos puellae efficit, sicut obligari potest ille, qui vi, dolo, aut metu gravi injustè incusso deflorat, casu quo puellam deflorando plus, quàm dos illius efficit, damnificat, per dicta num. 102. & seq. eò quòd precibus inducens, injuriam non inferat, consequenter damnum contra justitiam non causet, sicut causat, vi, & dolo aut injusto gravi metu seducens.

1008 Et haec de obligatione defloratoris, dote contenta ac regulanda prolixius dicere, & clarius, etiam quaedam subinde repetendo explicare placuit: Tum quia tam in Foro interno quàm externo continuò occurrit: Tum quia non pauci DD. valdè confuse, non distinguendo inter Forum internum ac externum, nec circumstantias, prout oportet, satis discriminating scribunt.

1009 Quaeritur III. Quid Juris, si vi, dolo, injusto metu, aut importunis precibus deflorans puellam, media non habeat ad competenter dotandum corruptam? Resp. I. In hoc casu, si puella nolit nubere defloratori, debet hic in Foro externo compelli, ut interim pro dote det, quantum potest, simulque obligari, ut reliquum restituat, quando poterit, vel ad pinguiorem fortunam venerit, patet Conclusio ex dictis num. 101. Quibus accedit, quòd cum in potestate puellae sit acquirere nuptias, vel praetendere dotem, arg. cit. c. 1. de Adult. & stup. ad eandem dandam petenti teneatur deflorator, consequenter ad interea praestandum, quantum potest, & residuum adhuc debitum supplet, quando poterit, cum universaliter impotentia temporanea non extinguit, sed tantum suspendit obligationem satisfaciendi, aut restituendi, quòd debet per vulgarij tum Juris, tum Theologiae principia.

1100 Dixi in Foro externo; quia in foro interno, si puella nullum damnum passa est, ad nihil tenebitur deflorator juxta dicta supra n. 102. Vel si damnum quidem passa est, sed eam ducere, ducendoque resarcire damnum paratus est deflorator, qui vel majoris, vel aequalis cum puella status, conditionis, facultatis ac qualitatis est, liber ab omni obligatione in Foro interno erit, si eum puella recuset, juxta dicta supra n. 105. Ratio est; quia licet puella in Foro externo libertatem habeat acceptandi vel recusandi Matrimonium, & loco ejus exigendi competentem dotem, tamen haec libertas non semper gaudet, si causa non venit ad Forum externum: Tum quia c. 1. de Adult. & stup. obligans defloratorem, ut aut ducat, aut detet, & puellam nubere nolentem determinatè dotet, est poenalis externam executionem requirens: consequenter ante Judicis sententiam non obligans, juxta dicta supra n. 76. & 102. Tum quia pro Foro interno satisfaciendo deflorator, si damnum injustè illatum sufficienter resarciat, quòd facere potest, non tantum dotando, sed etiam ducendo puellam, supposito, quòd puellae sit aequalis, & damnum ejus praecise in hoc consistat, quòd ob deflorationem aequales nuptias acquirere non valeat; ut plerumque in hoc solo consistit. Nec enim injustè deflorata libertatem habet in Foro interno eligendi satisfactionem, quae ei habet, sed contenta esse debet, si ei ad aequale satisfaciat seductor, quòd fit, si eidem aequalis nubat: nisi forsitan praegnantem huic non nubendi causam haberet, vel damnum per injustam deflorationem ei-

dem illatum in alio confisteret, v. g. qui ob deflorationem deleteretur ex Testamento alicujus, qui eidem ob honestam ipsius conversationem notabilem legavit Summam, vel privaretur pingui condicione, aut aliud damnum pateretur, quod nubendo non rescitur: tunc enim utique alio modo satisfacere, & damnum etiam in Foro interno rescircire deberet injustus deflorator, cum quivis injuste damnificans in Foro interno etiam ante omnem Judicis sententiam rescircire teneatur per vulgaria.

111 Resp. II. Si deflorator defectu mediorum puellam dotare, aut damnum injuste illatum rescircire non potest, teneaturque in utroque Foro eam ducere, si puella eum velit, & conditionis notabiliter inferioris non est. Prima pars Conclusionis de externo Foro videtur certa; eo quod licet in alternatibus debitoris sit electio; & sufficiat alterum impleri, c. In alternatibus. 70. de R. J. (cujusmodi est obligatio defloratoris, dotandi nempe vel ducendi, juxta dicta nu. 87.) tamen si debitor unum ex his non vult, aut potest prestare, ad alterum tenetur, hoc ipso quod ad alterum obligetur; consequenter cum iniquus deflorator in Foro externo in penam delicti aut ducere, aut dotare teneatur defloratam, etiam si hæc aliud damnum præter virginitatis amissionem passus non fuisset, per dicta supra nu. 93. si dotare sufficienter non potest, ducere tenebitur, arg. cit. c. In alternatibus de R. J. ubi hoc ipso, quod dicitur, sufficere alterum impleri, tacite innuitur, alterum necessarium fieri debere, consequenter si unum fieri nequit, alterum fieri oporteat: & l. Pleurumque. 10. §. fin. ff. de Jur. dot. ubi expressè habetur, quod si in alternatibus obligator iis unum fieri nequeat, alterum necessarium fieri debeat. Concordat l. Si in empione. 34. §. Si empio. 6. ff. de Contrah. empt. quod si deflorator ducere nolit, debitis Juris mediis, etiam Excommunicatione compelli debet, arg. c. 2. de Adult. & Sup. quamvis finaliter cogi non possit, juxta dicta infra nu. 163.

112 Probatur etiam secunda pars de Foro interno, quia in hoc Foro etiam ante omnem Judicis sententiam quilibet injuste damnificans tenetur damnum restituere modo, quo potest, juxta omnes per vulgaria præsertim c. fin. de Injur. & dam. dat. & Lun. C. de sentent. que pro eo; ergo si deflorator damnum injuste illatum pecuniis aut facultatibus rescircire nequit, potest autem nubendo, ad nubendum tenebitur, prout in simili criminalis bene observat Layman lib. 5. tr. 9. p. 1. cap. 1.

113 Dicitur autem notanter, si puella conditionis notabiliter inferioris non est; hoc enim si foret, ducere eam non teneretur, et si dotare non posset, prout bene advertit Lugo de J. & J. Disp. 12. sect. 1. num. 18. Ratio est; quia nemo in Foro interno tenetur restituere, aut rescircire damnum cum longè majori suo detrimento, quam sit damnum, quod pars altera patitur, ut habet communis Theologorum apud Lug. loc. cit. sed si deflorator teneretur ducere puellam longè inferiorem, v. g. rusticanam, aut infimæ sortis, cum ille sit de nobilissimo Stemma, haud dubie longè majus pateretur detrimentum, quam sit damnum puellæ per deflorationem illatum, ut consideranti patet: ergo Satisfaciet itaque talis in Foro interno, si interea facit, quod potest, addito promisso aut firmo proposito relinquendo pro rescircione damni illati necessarium restituendi, quamprimum poterit, aut ad pinguiorem fortunam venerit.

114 Num autem etiam in Foro externo à ducendo excusetur, qui dotare non potest supratam longè inferiorem, major apparet difficultas. Ad quam nihilominus negativè respondendum videtur: Tum quia in Foro externo ratio num. præced. polita, à du-

cendo excusans ad propositum non currit; cum injustus deflorator in hoc foro, etiam cum longè majori suo detrimento restituere, ac rescircire teneatur, quam sit damnum per deflorationem illatum, ut pote qui puellæ maximam dotem jam habenti, & ob deflorationem nullum damnum patienti, æqualem maxiam dotem restituere debet, si puella nubere eidem non vult, idque in penam delicti per dicta superius num. 93. Tum quia alternativa obligatio injusto defloratori pro foro externo c. 1. de Adult. & Sup. imposita est in penam delicti, quæ quamvis delicti Reum nullo excepto, consequenter etiam postum in Conclusionem in Foro externo tenet, ita ut alterum præstare debeat, dotare nempe, vel si hoc non vult aut non potest, ducere debeat, arg. cit. L. 10. §. fin. ff. de Jur. dot. nisi puella ipsa nuptias recuset, vel obligationem remittat.

Queritur IV. Ad quid tenetur, qui sub ficta spe, ac promissione Matrimonii feminam inducit ad copulam? Resp. Talis in utroque Foro absolute tenetur eam ducere, nec satisfacit dotando seductam, etiam si seducta non fuerit virgo, sed prius jam corrupta, dummodo hoc antè seiverit deceptor. Sanchez lib. 1. de Matrim. Disp. 10. num. 3. Layman lib. 5. tr. 10. p. 1. nu. 11. Sylvester ff. Luxuria q. 5. Navarrus cap. 16. n. 18. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 3. Molina tr. 3. Disp. 106. nu. 3. Ledema de Matrim. q. 45. a. 5. dub. 1. Coninck Disp. 22. sect. 8. concl. 1. Lugo de J. & J. Disp. 12. sect. 2. n. 20. Pirhing de Adult. & Sup. n. 56. cum Communissima aliorum contra Perez Disp. 2. sect. 3. Ratio Conclusionis est; quia quodcumque inter aliquos intervenit contractus do ut des, facio ut facias, si una pars contractum implevit, tenetur etiam altera adimplere, etiamsi fictè contraxerit, seu promiserit; atqui in casu Conclusionis intervenit talis contractus; ergo si una pars femina nempe contractum implevit, tenetur etiam pars altera adimplere, & quidem in specie id, quod promisit, Matrimonium nempe; consequenter non sufficit dotando, cum aliud pro alio invito creditor solvi non possit, L. 2. §. Mutuum, ff. de Rebus credit. Distingunt Adversarii Majorum, si inde damnum alia ratione non reparabile secutum est, conceditur: si nullum secutum est damnum, vel tale, quod alià viâ rescirciri potest, negatur.

Sed contra hanc distinctionem est primò, quòd 116 adimpleto ex una parte contractu facio ut facias, obligatio alteram partem ad reciprocè adimplendum stringens non proveniat ex damno alteri secuto, sed ex natura contractus etiam ex altera parte fictè celebrati, item ex justitia commutativa, & naturali æquitate exigente, ut qui per contractum facio ut facias alterum ad faciendum inducit, videtur quod alter ad contractum & promissum ex parte sua adimplendum jam paratus existat, non possit hoc acceptare, quin obligationem contrahat vicissim adimplendi id, intuitu cujus alter suum promissum adimplevit, etiamsi hic alter ex facto suo penitus nullum passus sit, nec patiatur damnum, imò etsi ex facto suo reportaverit commodum; ut si v. g. quis ita contrahat: si tu hodie ambulas mecum ad has nuptias, ego cras ambulo tecum ad illas; ambulante enim illo hodie, tenebitur hic cras ambulare ad nuptias, etiamsi ille ambulando nihil neglexerit, nec damnum aliquod contraxerit, sed potius lucrum ex nuptiis reportaverit.

Nec liberatur ab obligatione ex eo, quòd fictè 117 promittat, ac etiam contra obligationem internè proteletetur: Tum quia acceptando alterius factum non nisi sub conditione reciprocè facti ab alio vicissim præstandi, impedire non potest, quin ex justitia & æquitate naturali oriatur obligatio reciprocè præ-

præstationis: Tum quia protefatio illa, spontanea acceptatione facti ab alio non nisi sub conditione reciprocationis præstiti eliditur talis protefatio, uti bene advertit Layman loc. cit. & dicemus adhuc infra num. 125. quia ex justitia tenebatur verè promittere, & fictè promittendo, atque ita ad faciendum inducendo multè alteri injuriam, quam exigente justitiam utique rescircire debet reciprocè præstando factum fictè promissum.

Dices cum Perez, talem commississe quidem injuriam, sed solummodò internè, seu secundum intentionem & affectum internum, non item externè, si, uti supponitur, nullum damnum alteri inde fuit secutum: ergo plus non requiritur, quam ut poenitentiam delect illam coram Deo; cum injuria interna sine alterius læsione aut damno facta plus non requirit: prout patet in simplici facta promissione Matrimonii alteri facta, utpote quæ licet injustè, ac cum injuria alterius sit facta, promittentem tamen ad ducendum non obligat, sed tantum ut de peccato delect, prout ipsimet docuimus supra §. 1. num. 5. Resp. negando Ant. quia dum talis fictè promittendo inducit ad actum seu factum, jam hoc non amplius est & manet injuria interna seu secundum intentionem vel affectum internum, sed evadit omninò externa inducens alterum ad actum seu factum externum, quòd aliàs non fecisset, & non nisi sub conditione certæ præstationis ab altero faciendæ præstitit. Hinc negatur paritas in Consequenti assumpta; quia cum per fictam simplicem promissionem Matrimonii ibi positam pars altera nullatenus inducebatur ad aliquid certum faciendum aut præstandum, neque vi illius promissionis aliquid præstitit, vel præstare debuit, uti supponitur, maxima inter hanc & illam promissionem apparet disparitas.

118 Instabis, dato, quòd per copulam fictam promissione Matrimonii obtentam: alteri etiam externa miseratur injuria, tamen necesse non est illam rescircire ducendo deceptam, sed sufficit, si pecuniaria vel alià satisfactione injuriam illam externam ad æquale compenset: ergo, Resp. negando ant. quia justitia commutativa non tantum exigit, ut æquale reddatur, sed ut id, quod debetur in specie reddatur, si reddi potest; quia juxta jam dicta, aliud pro alio invito creditor solvi non potest, uti expressè habetur L. 2. §. Mutuum, ff. de Rebus credit. Quæ sicut quævis alia Lex justa in utroque Foro obligat per dicta Lib. 1. Tit. 2. §. 7. num. 153. consequenter cum in specie debeat Matrimonium, utpote sub cujus promissione licet ficta, ac conditione puellam induxit ad actum seu factum, quòd aliàs non præstitisset, nec de facto præstitit nisi sub conditione tacitè vel expressè Matrimonii consequendi, Matrimonium, si potest, in specie reddere debet, nec satisfacit dotando, seu dando pecuniam, utpote quam ille non promissit, & ob quam illa factam non præstitit, nec forsan præstitisset.

119 Et hoc procedit, etsi femina reciprocè non promiserit Matrimonium, sed tantum sub spe aut promissione Matrimonii accepta usum corporis fecerit, consequenter vera Sponsalia defectu mutue reprobationis non effecerit. Sanchez loc. cit. num. 4. Pirhing h. t. num. 46. cum communi aliorum per Conclusionem numer. 115. post à sententiam contra Manual. in hoc singulari. Ratio est; quia in hoc casu etiam sine Sponsalibus oritur præfata obligatio ex contractu oneroso, facio ut facias, ex altera parte jam impleto.

120 Objicies cum Perez loc. cit. contra Conclusionem num. 115. postquam. Qui sub ficta promissione Matrimonii deflorat puellam, non tenetur eam ducere ratione promissionis, quippe quæ ficta & invali-

da est: nec ratione damni illati, utpote quòd vel nullum est secutum, vel si secutum, alià viâ, uti supponitur, reparabile est: ergo nullo modo tenetur eam ducere. Resp. Decipientem in hoc casu non teneri quidem præcisè ex promissione utpote ficta & invalida; nec præcisè ratione damni dati, sed ex natura contractus onerosi innominati facio ut facias, juxta dicta supra nu. 115. & 116. Unde procedit quidem argumentum Perez contra Sanchez, qui licet nobilicum, & cum aliis loc. cit. nu. 3. principalem radicem obligationis ducendi ponat in natura contractus innominati facio ut facias; tamen ab ea nu. 26. recedit, eamque in damno dato ponit, dicendo, quòd si puella damnum aliquod non patitur, is qui sub ficta promissione Matrimonii eam carnaliter cognovit, ducere non tenetur, contra quòd adhuc dicemus infra num. 122. & sequ.

Limitatur tamen Conclusio I. Si vir notabiliter 121 excedat conditionem puellæ, idque puella seiverit: ut si vir est Nobilis, puella verò rustici filia, Sanchez loc. cit. num. 5. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 3. Navarrus lib. 16. num. 18. Pirhing de Adult. & Sup. nu. 57. Sylvester ff. Luxuria. q. 5. & alii communiter. Ratio est; quia, cum in tali casu suspicari poterit, virum non nisi fictè promittere, merito præsumitur, quòd ex libidine potius vel ex animo obtinendi ab eo pecunias, quam ex animo acquirendi Matrimonium, & contractum onerosum, facio ut facias, celebrandi, corpus præbeverit, consequenter ratio & fundamenta obligandi stupratorem ad Matrimonium desinunt. Non ordinariè auditur puella dicens: se non fuisse deceptam, quia scire debuit, si fecit excessivam inæqualitatem, scire autem & scire debere paria sunt, l. quod te. 5. ff. de Rebus credit.

Addit quidem Sanchez loc. cit. n. 21. quem sequitur 122 Pirhing de Adult. & Sup. n. 57. talem notabiliter excedentem non teneri, etiamsi puella nesciverit excessum, vel etiam juramento ita affecuravit puellam deceptor, ut vir prudens quoque prudenter crederet, eum verè promittere; quia, ajunt, talis non tenetur ratione promissionis, utpote fictæ & invalidæ: nec ratione damni illati; quia justitia non exigit, ut debitor etiam ex delicto plus restituat, quam restituitur damnum illatum juxta communem; atqui plus aestimatur contractus Matrimonialis longè excedens viri cum parvula puella, quam damnum ablatæ dolo virginitatis: ergo.

Verum huic opinioni Sanchez, & sequacium penitus non adherendum, sed tanquam probabilius tenendum videtur, quòd si etiam notabiliter excedens deceptor fictè promittendo ita affecuravit puellam, ut & ipsa, & quivis vir prudens credere possit, eum sincerè promittere; ut si puella nitendo dicat; ipse tantum fugit, vel vexat, quia, cum ego sim parvula, ipse verò divitissimus, aut Nobilis &c. vel, quia ego sum de abjecto genere, v. g. lictoris, carnificis &c. filia; ipse verò honestorum parentum filius, esse ob inæqualitatem non poterit, quòd Matrimonio concupiscit, præsertim cum nec parentes ejus id concederent: deceptor verò ad hæc & similia respondet: bene scio, quis sim ego, & que tu; scio etiam omnes circumstantias, quòd sis mihi longè inæqualis; Nihilominus quia tu præceteris mihi places, & erga te specialem affectum habeo, affecuro te, promitto, imo juro tibi, quòd nubere tibi velim; etiamsi strepitent. & summe contradicant parentes mei, & omnem favorem in futurum decipient &c. dummodò tu præbeas usum corporis &c. Si tali, inquam, aut consimili modo deceptor affecurat puellam, ut nec ipsa, nec alius vir prudens de fraude prudenter suspicari possit; sicut etiam, quando puella excoellum ignorat, consequenter hoc

hoc ipso deceptionem advertere nequeat, tenetur deceptor deceptam ducere, postquam ipsa ex parte sua conditionem adimplevit, corpus sub præfata conditione præbendo: nec satisfacit dotando, nisi puella ad dotem consentiat. Layman lib. 5. r. 10. p. 1. cap. 11. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 3. Vasquez in Moralib. de Reftit. cap. 2. §. 1. dub. 3. Henriquez lib. 11. cap. 11. num. 2. Navarrus, & teste Lessio loc. cit. multi alii Doctores. Probatur; quia in tali casu ratio & fundamentum numer. 116. positum æqualiter militat; nec adeit ratio aut fundamentum in contrarium efficaciter quid probans. Argumentum enim Sanchez, & sequacium, nimium, id nempe probaret, quod ficta promissione Matrimonii ulam corporis obtinens, etiam tunc non teneretur deceptam ducere, sed dotando satisfacere, si decipiens esset æqualis, vel non multum majoris conditionis quam decepta: siquidem etiam tunc argumentari cum Sanchez sic liceret: deceptor non tenetur deceptam ducere vi promissionis, utpote fictæ, consequenter nullæ, nec ratione damni dati; quia nemo tenetur plus restituere quam damnum à se illatum restimatur; sed damnum ordinariè majus & aliud non est, quam quod decepta tam commodas nuptias amplius acquirere non possit, quod damnum quia potest rescirari dotando, non tenebitur deceptam ducere, præsertim cum nubere alicui, & cum ea perpetuo manere, quæ non placet, & à qua quis aversionem habet, longè majus videatur quam damnum deceptæ in sola privatione commodarum nuptiarum consistens; quod quia dote competenti rescirari potest, decepta contenta esse debet, si, ut Sanchez vult, obligatio ducendi descendit ex sola ratione damni dati, quod nemo cum majori damno rescirare debet.

124 Hinc negatur, quod in casu conclusionis, obligatio ducendi deceptam ex sola promissione vel ratione damni illati proveniat: cum juxta dicta num. 115. & sequ. & ipsum Sanchez loc. cit. num. 3. principaliter proveniat ex natura contractus innotinatio, factio ut facias, & justitia commutativa exigente, ut si quis five verè, five fictè contractum talem cum alio ineat, & hic contractum promissum sub conditione tacitâ vel expressâ reciproca adimpletionis ex parte sua adimplere paratus existat, alter hoc acceptare non possit, quin naturali æquitate, ac justitiâ exigente obligationem contrahat adimplendi etiam id ipsum, intuitu cujus pars altera suam adimpleverat; et si id fimpleturam pritis fictè promiserat, uti ad propositum bene etiam argumentatur Layman loc. cit. num. 11.

125 Confirmatur: si quis sub vera promissione Matrimonii obtinet usum corporis à puella longè inferioris conditionis, tenetur eam absolute ducere, nec satisfacit dotando, ut Sanchez ipse, & omnes alii fateri debent; ergo etiam fictè promittens (casu quo puella fictionem advertere non poterat) postquam copulam à puella sub tacita vel expressâ conditione Matrimonii concessam acceptat; quia id facere non potuit, quin obligationem ex justitiâ contraheret vicissim adimplendi id, cujus gratiâ puella corpus præbuit, nec relevatur ab illa obligatione, si inter se contra eam protestatur, eò quod externa spontanea acceptatio copulæ sub tali, & non alia conditione concessæ, est contraria tali protestationi, eamque ex justitiâ & æquitate elidit; alioquin enim in quovis contractu oneroso libera decipiendi daretur facultas, uti loc. cit. bene advertit Layman.

126 Confirmatur ulterius; si sub ficta promissione copulam obtinens ex solo damno dato teneretur du-

cere deceptam, uti vult Sanchez, sequeretur, quod quando puella ex tali copula nullum pateret damnum, deceptor etiam æqualis conditionis puellam ducere non teneretur; atqui sequela videtur omnino absurda, ergo, sequela Majoris concedit Sanchez loc. cit. num. 23. ubi adhuc alios adducit. Minorem ex consequenti negare debet, quæ tamen probatur, tum rationibus & fundamentis num. 115. & sequ. postis, utpote æquè militantibus, si nullum, ac si aliquod damnum ex copula sub conditione promissi Matrimonii concessa sequitur: Tum ex eo, quod inde aperiretur via innumerarum deceptionum & fornicationum; cum non tantum leves & imbecilles, timore quæ Dei ac virtute minis firmæ, sed etiam honestissimæ virgines ac viduæ, quæ ad inhonestam adduci potuere, promissione Matrimonii plerumque inducantur; quo medio libidinosi liberrimè fictè tamen uterentur, si scirent, quod ratione fictæ promissionis in tali casu ad nihil obligarentur; imò jurare possent, quod nihil promiserint, uti vult Sanchez loc. cit. num. 27. Relinquo cujusvis considerationi, an non hæc doctrina sit nutritiva peccatorum, consequenter in praxi minime tenenda.

Cæterum limitatur Conclusio secundo, quando 127 foemina ex verbis, signis, aut aliis conjecturis potuit faciliter colligere fraudem, aut fictionem. Sanchez lib. 1. Disp. 10. num. 7. Layman ubi supra numer. 11. Lessius loc. cit. num. 24. Sylvester y. Luxuria. q. 5. cum communi aliorum. Ratio est, quia hoc ipso, quod facile potuisset colligere fraudem, voluit decipi: paria autem sunt posse scire, & debere scire, arg. l. quod te. ff. de Reb. credit. scienti verò, & consentienti non fit injuria neque dolus, c. 27. de R. J. in 6.

Limitatur tertio, si puella reciprocè decipiatur, 128 jactando, ut fingendo se virginem, cum non esset. Layman ubi supra, Lessius loc. cit. num. 30. Sanchez loc. cit. num. 11. Ledesma de Matrim. q. 45. a. 4. dub. 1. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 3. numer. 29. Corduba Sum. q. 49. Ludovic. Lopez, & alii communiter. Ratio est; tum quia datur compensatio injuriarum: Tum quia hoc causam solvi possunt vera Sponsalia juxta dicenda infra §. V III. a. num. 246. ergo etiam tolli, vel potius impediri potest obligatio ex ficta promissione confurgens. In d. ob hanc ultimam rationem ab obligatione nubendi excusatur deceptor, et si puella eum verò non deceperit expressè dicendo, aut jactando se virginem, sed tantum tacendo, & probum amissæ virginitatis non manifestando (prout manifestare non tenebatur, cum nemo se ipsum diffamare obligetur) promissum acceptaverit, & corpus præbuerit. Doctores citati. In quo tamen casu deceptor eam competenter dotare tenebitur in utroque Foro, si foemina, quæ communiter reputabatur virgo, inde diffamatur, & damnum patitur. Less. lib. 2. cap. 10. dub. 3. num. 30. Pirthing, Corduba, & alii, eò quod juxta dicta supra num. 71. quivis etiam sine promissione Matrimonii virginem vel veram, vel communiter putatam seducit, & dormit cum ea, tenetur eam ducere, vel dotare; talis autem fictus promissor vel maxime eam seducere videatur: ergo. Si verò inde damnum aliquod non sequatur, in Foro interno ad nihil tenebitur juxta dicta num. 76. In Foro externo eandem, sicut etiam illam, quæ reciprocè virum decipit positive mentiendo se virginem, etiam ducere compellitur, nisi vir probet, eam virginem non fuisse; quia per dicta præsumptio fiat pro puella, præsumiturque virgo ac decepta, nisi aliter probetur, juxta dicta num. 84. & 85. Limitatur

129 Limitatur Conclusio quarto: quoties intervenit, vel subsequitur circumstantia vel causa, ob quam juste solvuntur Sponsalia verè contracta, Sanchez lib. 1. Disp. 10. n. 13. Layman lib. 5. r. 10. p. 1. cap. 1. nu. 11. §. fin. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 3. nu. 30. & alii, eò quod si non major, saltem videatur eadem esse ratio; ubi autem eadem est ratio, eadem est Juris dispositio, arg. l. idem ff. de Legib. quia planè non apparet, cur, si causa vel circumstantia aliqua sufficit ad tollendam, vel impediendam obligationem ex vera promissione provenientem, non sufficiat ad tollendam aut impediendam illam, quæ occasione fictæ promissionis ex contractu innominato factio ut facias provenit; cum æquè illa ac ista ex justitiâ, & æquitate naturali obliget, ergo. Porro causas ac circumstantias ob quas licet solvere Sponsalia, habes infra §. VII. & §. VIII. ubi per extensum quævis declaratur.

130 Queritur V. An in casu, quo ille, qui sub ficta promissione Matrimonii foemina carnaliter cognovit, ex aliqua causa vel circumstantia excusatur à Matrimonio, tenetur saltem eam dotare? Resp. I. Sifictas promissor ob culpam puellæ liberatur ab obligatione eam ducendi, v. g. quia puella postea cum alio fornicator, vel quia positive dixit, aut jactavit se virginem &c. non tenetur eam dotare, Sanchez loc. cit. n. 11. Layman loc. cit. n. 11. Lessius loc. cit. n. 29. & alii communiter. Ratio est: quia fictus promissor vi contractus innominati tantum tenebatur ad ducendum, ergo si foemina in culpa, vel causa est, quod eam ducere non teneatur, ad nil aliud tenetur; quia sicut unum pro alio, invio creditori solvi non potest, l. 2. ff. de Reb. credit. ita unum pro altero solvere invitus debitor cogi non potest, cum correlativorum eadem sit ratio ac disciplina, arg. l. fin. ff. de Acceptil. l. fin. c. de Indict. vidui. Barboza de Assomat. ver. Correlativa.

131 Resp. II. Si foemina in culpa, & causa non est, quod à nubendo excusetur deceptor, ut si ex Matrimonio gravia orientur scandala, tenetur eam ita dotare, ut damnnum, si quod est illatum, sufficiens compensetur, ita sentire videtur Sanchez loc. cit. n. 9. & Doctores supra citati. Ratio est; quia, uti supponitur, injurte dampnificavit, ergo tenetur damnum rescirare modo, quo potest, arg. c. fin. de Injur. & damno dat. cum Concordantiis; coniequenter si non potest nubendo, tenetur restituendo per dicta num. III. nisi damnum passa ipsamet indignam se reddat, sique eximat dampnificantiem à restitutione, ob dicta num. præced. Confirmatur Conclusio ex dictis supra num. 71. arg. c. 1. de Adult. & sup. vi cujus quilibet virginem, quam seducit, tenetur ducere, vel dotare; atqui talis vel maxime virginem seducit, qui sub ficta spe Matrimonii eam ad copulam persuasit: ergo.

132 Queritur VI. An quid tenetur Clericus, & maritatus, qui fingens se solutum, Laicum, sub ficta promissione Matrimonii à foemina obtinet copulam? Respondeatur teneri dotare puellam in tantum, in quantum requiritur & sufficit ad rescirandum damnum, si quod inde passa est decepta. Sanchez loc. cit. n. 15. Sylvester ver. Luxuria. Ledesma de Matrim. q. 45. a. 4. dub. 1. ad Confir. tertio. Ratio est; quia omnis injustè dampnificans tenetur ad restitutionem, arg. l. un. C. de sentent. que pro eo, & c. fin. de Injur. & dam. dat. juncto can. si res aliena, cau. 14. q. 6. ergo etiam positum in Conclusionem. Quod si verò puella damnum exinde nollum patitur, ad nihil tenentur in Foro interno, bene tamen in Foro externo per dicta supra num. 93.

133 Queritur VII. Quis tenetur alimentare pro-

lem, casu quo imprægnatur puella, & imprægnans non ducit imprægnatam, puta, quia vel non potest, vel non tenetur, vel inique reculat? Resp. quævis fatis communis sit DD. opinio, ut videre est apud Covar. de Sponsal. p. 2. c. 8. §. 6. nu. 19. Less. lib. 2. cap. 10. n. 42. qui cum Glossa in c. fin. de conversione infidelium docens, hujusmodi prolem primo triennio ali debere à Matre, postea à Patre juxta vulgares versiculos à Glossa ibidem adductos:

Mater alit puerum trimo, trimoque minore.
Majorem trimo pascere, patris erit.

arg. l. Nec filium 9. C. de Patria potest. Rectius tamen dicitur, obligationem alendi prolem utriusque parenti incumbere, ordine tamen successivo, ita ut prius teneatur pater, mater verò tantum in subsidium, si nempe pater ex defectu mediorem non potest, aut malitiâ non vult alimentare, & non alimenta prolem Barb. in c. cum haberet 5. de eo, qui duxit in Matrim. Surd. de Alimen. Tit. 1. q. 15. num. 11. Sanctorell var. Resolut. lib. 1. q. 33. Covarr. & alii arg. cit. c. cum haberet 5. h. t. Ad vulgares illos versiculos dicitur, esse ita intelligendos, quod cum proles ante triennium à matre depelli tunc non consueverit, matri impossum sit præfato triennio lac præbere proli; non verò quasi Mater deberet etiam reliqua v. g. lectum, vestitum, habitationem &c. primo triennio præstare: ad hæc enim omnino obligatur pater, & primum in defectu hujus Mater, prout bene advertunt laudati DD. verum de hoc amplius lib. V. de Adult. & sup.

Queritur VIII. Quid Juris, & quomodo 134 pelli possit ac debeat, qui ob seductionem puellæ ad nubendum obligatus, nubere renuit? Resp. ad hoc quæsitum patere §. seq. num. 152.

Et hæc de defloratione, ac seductione foeminarum atque de obligatione inde proveniente, præsertim dote constituendâ, paulò prolixius, & nunquam cum aliqua repetitione pro majore claritate dicta sunt, eò quod materia hæc in Foro tam quam in externo identidem recurrit; ob quam causam etiam brevier recapitulare placet dicta in hoc Paragrapho, ut in compendio habeatur notitia totius hujus materiæ summè practicæ.

Pro compendiosa itaque notitia notandum: In 135 causa deflorationis aliter esse discurrendum, si fiat absque promissione Matrimonii; aliter si fiat sub spe, ac promissione Matrimonii. Et de utroque aliter pro Foro interno, aliter pro Foro externo.

Nam loquendo de casu, quo fit defloratio aut seductio sine spe aut promissione Matrimonii quoad Forum externum, si quis fraude, aut metu injustè incusso, aut importunis precibus virginem seducit, eam ducere, vel dotare tenetur juxta dicta supra num. 71. & sequ. Si verò puella virgo non est, nec pro tali communiter habetur, in Foro externo ad nihil tenetur, num. 79. Sicut neque, si puella aliàs est male famæ, aut minus honestæ vitæ, num. 80. Nisi etiam hæc ex tali seductione damnam reverè pateatur, num. 82. Qui seducit talem, quæ virgo quidem non est, pro tali tamen communiter habetur, eam dotare, vel ducere debet, num. 85. Præsumitur autem quævis virgo, num. 84. & seducta, num. 85. nisi contrarium probetur. Seducens absque promissione virginem veram, vel communiter putatam, non tenetur copulativè eam ducere, vel dotare, sed sufficit si ducat, aut dotet, num. 87. Quævis si seducta, aut parentes ejus Matrimonium recusent, tenentur eam dotare, num. 89.